

Intereā volucrēs Pyroīs et Eōus et Aethōn,
Sōlis equī, quārtusque Phlegōn hinnitibus aurās
155 flammiferīs inplent pedibusque repāgula pulsant.
Quae postquam Tēthys, fātōrum īgnāra nepōtis,
reppulit, et facta est inmēnsī cōpia caelī,
corripuēre viam pedibusque per āera mōtīs
obstantēs scindunt nebulās pennīsque levāī
160 praetereunt ortōs īsdem dē partibus Eurōs.
Sed leve pondus erat nec quod cōgnōscere possent
Sōlis equī, solitāque iugum gravitāte carēbat;
utque labant curvae iūstō sine pondere nāvēs
perque mare īnstabilēs nimiā levitāte feruntur,
165 sīc onere adsuētō vacuus dat in āera saltūs
succutiturque altē similisque est currus inānī.
Quod simulac sēnsēre, ruunt trītumque relinquunt
quadriugī spatium nec quō prius ōrdine currunt.
Ipse pavet nec quā commissās flectat habēnās
170 nec scit quā sit iter, nec, sī sciat, imperet illīs.
Tum p̄imum radiīs gelidī caluēre Triōnēs
et vetitō frūstrā temptārunt aequore tinguī,
quaeque polō posita est glaciālī proxima Serpēns,
frīgore pigra prius nec formīdābilis ūllī,
175 incaluit sūmpsitque novās fervōribus irās;
tē quoque turbātum memorant fūgisse, Boōtē,
quamvīs tardus erās et tē tua plaustra tenēbant.
Ut vērō summō dēspexit ab aethere terrās
īnfēlix Phaethōn penitus penitusque iacentēs,
180 palluit et subitō genua intremuēre timōre
suntque oculīs tenebrae per tantum lūmen abortae,
et iam māllet equōs numquam tetigisse paternōs,
iam cōgnōsse genus piget et valuisse rogandō,
iam Meropis dīcī cupiēns ita fertur, ut ācta
185 praecipitī p̄inus boreā, cui victa remīsīt
frēna suus rēctor, quam dīs vōtīsque relīquit.
Quid faciat? Multum caelī post terga relictum,
ante oculōs plūs est: animō mētītur utrumque
et modo, quōs illī fātum contingere nōn est,
190 prōspicit occāsūs, interdum respicit ortūs,
quidque agat īgnārus stupet et nec frēna remittit
nec retinēre valet nec nōmina nōvit equōrum.